

P H I L O S O P H I A  
S. S C R I P T U R Æ  
I N T E R P R E S.  
*EXERCITATIO PARADOXA.*

C A P. I.

1. *Quæstionis dignitas.* 2. *Exercitationis summa Capita.*

I. **V**iguit jam inde à Reformationis primordiis , Pontificios inter ac Evangelicos , gravis magnique momenti Quæstio circa jus , infallibilemque sacrosanctas Scripturas interpretandi normam. Nec quidem temerè. Cùm enim Novi Veterisque Testamenti codices ab omnibus , qui Christo nomen dedere , pro Dei verbô , ac unicô ( exceptis solis Pontificiis , qui Traditiones , & Ecclesiæ placita superaddunt ) agnoscantur habeanturque principiô , ex quô omnia tum Fidei tum Morum dogmata peti debeant ; quæcumque circa ista emergere porrò poterunt difficultates , ad hoc unum Interpretationis punctum vergere , ac confluere , in eâque solâ cunctorum inter Christianos dissidiorum disceptationumque versari cardinem , nemo , qui Theologiam vel à limine salutavit , ibit inficiās. Atque hinc etiam luce meridianâ clariūs consequitur , illi , qui verum genuinumque divinarum Literarum sensum indicare valet , ac demonstrare certò atque indubitate , soli concessum esse , de Fide Moribusque firmum quid ac immobile statuere , ac aliud sentientes refutare , atque convincere. Cùm contrà , quibus hæc denegata est prærogativa , reliqui super arenam ædificant , ac incassum tantum verba fundant , aut siquid fortassis huic illi minimè pertinaci ac nimium credulo persuadeant , id adeò infirmis & labantibus subnixum sit fundamentis , ut etiam levissimô diversum statuminantium conamine disjici queat , ac destrui. Quod verò , hâc interpretandi dote destituti , sibi sacros libros exponendos